

perna gratia prævenit, et ita superna pietas prius agit aliquid in nobis sine nobis, ut subsequente quoque nostro libero arbitrio, bonum quod jam appetimus agat nobiscum. Ubi, sicut in Prospero notavimus, post prævenientem gratiam nihil censet fieri in nobis sine nobis. Cumque utrumque ex Paulo probasset, de eodem Paulo dicit: *Qui dum se de se nihil esse conspiceret, ait: Non ego; ut vero se cum gratia operatum esse per liberum arbitrium demonstraret, adjungit: Sed gratia Dei mecum.* Quod eleganter etiam prosequitur et declarat libro decimo nono *Moralium*, cap. decimo nono, alias vigesimo septimo, circa illa verba Job, vigesimo nono: *Et ros morabitur in messione mea.* In libro item decimo octavo, cap. vigesimo secundo, alias vigesimo quarto (qui locus etiam contra nos refertur), eandem solum repetit doctrinam, et potissimum impugnat errorem dicentium gratiam propter merita nostra dari, aut initium salutis esse ex libero arbitrio.

*Avila, c. 10.—Anselmus.*—Quarto loco allegatur Anselmus, quod in libro de Concordia, cap. 3, explicando verba Pauli: *Non est volentis, neque currentis, sed Dei miserentis*, loquens de conversione peccatoris in Deum, et impugnando eos qui totam efficaciam in sola libertate arbitrii ponebant, in hunc modum statuat: *Totum imputandum est gratiæ, quia neque volentis est quod vult, neque currentis quod currit, sed miserentis est Dei; omnibus enim, excepto solo Deo, dicitur: Quid habes quod non accepisti?* Deinde refert alia quæ, interpositis quibusdam, apud Anselmum habentur, scilicet: *Sicut ergo illam (id est rectitudinem voluntatis) nullus accepit nisi gratia præveniente, ita nullus eam servat nisi gratia subsequente.* Et post multa inferius: *Cum legitur: Neque volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, non negatur in volente, neque in currente aliquid prodesse liberum arbitrium, sed significatur non esse imputandum libero arbitrio quod vult et quod currit, sed gratiæ.* Nam cum ait: *Neque volentis, neque currentis est, subaudiendum est, quod vult et quod currit.* Sed immerito omittuntur quædam præcedentia, et alia interposita verba, quæ et Anselmi mentem satis declarant, et nostram sententiam confirmant. Præmittit enim nulli dari prævenientem gratiam ex præcedenti merito, sed potius e converso quidquid post primam gratiam homo mereatur, in illam esse referendum: *Hæc omnia (inquit) sunt fructus primæ gratiæ et gratia*

*pro gratia; et ideo totum imputandum est gratiæ.* Ecce quo sensu hoc dicatur, non quia libera determinatio non sit in suo genere tribuenda libero arbitrio. Quod paulo inferius post illa verba: *Sicut nullus accipit rectitudinem nisi gratia præveniente, ita nullus servat nisi gratia subsequente*, declarat dicens: *Nempe, quamvis illa servetur per liberum arbitrium, non est tamen tantum imputandum libero arbitrio quantum gratiæ, cum hæc rectitudo servatur; quoniam illam liberum arbitrium non nisi per gratiam prævenientem et subsequentem habet et servat.* Quæ verba prætermissa fuerunt, quia illæ particulæ, tantum et quantum satis explicant veritatem.

*Anselm., Ephes. 2.*—Adduntur præterea multa alia verba ejusdem Anselmi ex eodem libro de Concordia, quæ omnia solum eo tendunt, ut voluntas non possit recte velle prout oportet ad salutem, nisi per gratiam præveniatur, quæ det virtutem vel efficaciam recte volendi. Conclusio autem Anselmi hæc est: *Deo igitur largiente, invenimus gratiam ad salvandum hominem cum libero arbitrio concordare; ita ut gratia sola possit hominem salvare, nihil ejus libero arbitrio agente: sicut fit in infantibus, et in non intelligentibus. Ipsa semper adjuvat liberum arbitrium naturale, quod sine illa nihil valet ad salutem, dando voluntati rectitudinem quam servat per liberum arbitrium.* Ubi per rectitudinem videtur intelligere Anselmus bonam propensionem seu inclinationem ad supernaturale bonum additam voluntati, aut per infusum habitum, aut per aliquam prævenientem gratiam, et hanc tribuit soli Deo: illius vero rectitudinis usum, et omnem fructum, ad quem sine dubio spectat determinatio ad consensum, nunquam tribuit soli gratiæ, sed innatæ etiam libertati per gratiam adjunctæ. Unde quotiescumque Anselmus aliquid attribuit soli gratiæ, intelligit ratione prævenientis gratiæ. In quo est notandus locus ejusdem Anselmi, circa illa verba ad *Ephes. 2: Gratia estis salvati per fidem, et hoc non ex vobis: Hoc (inquit) non ex vobis, sed ex vocante Deo; quia ex auditu Evangelii accepistis fidem, Dei enim donum est ipsa fides, vel vocatio vestra, et non partim, sed pure donum Dei, quia non ex operibus vestris, id est, non est hic admistio operum, ne quis gloriætur.* Ex quibus verbis arguens ita concludit: *Ecce quam explicite et sine ullis ambagibus partialem concursum Dei et liberi evellit arbitrii, quem contrariæ sententiæ fautores constituunt. Ubi docet Anselmus fidem seu vocationem non*

*partim, sed pure esse donum Dei, nec interesse permissionem operum.* Verumtamen, si arguens intelligit Anselmum evellere partialem concursum liberi arbitrii a vocatione, recte dicit, quia nec vocatio in se libera est, nec propter liberam aliquam præcedentem dispositionem datur: quod Anselmus maxime intendit. Quo sensu intellectum (ut vere intelligi debet testimonium Anselmi) nihil ad præsentem causam refert, nam id nos maxime supponimus. Si autem mens arguentis sit, Anselmum tollere partialem concursum liberi arbitrii ab ipso consensu, vel determinatione consentiendi vocationi, valde errat, magnumque errorem Anselmo imponit a Concilio Tridentino damnatum contra Calvinum, ut supra visum est. Imo in eisdem verbis Anselmi, quæ idem auctor latissime refert, idem error damnatur, et contraria veritas pro regula stabilitur: *Ita quippe intelligenda sunt (ait) dicta divina, ut hoc excepto quod dixi de infantibus, nec sola gratia, nec solum liberum arbitrium salutem hominis operetur. Quippe cum dicit Dominus: Sine me nihil potestis facere, non ait: Nihil valet vobis vestrum liberum arbitrium, sed nihil potest sine mea gratia.* At profecto, si liberum arbitrium nec partialem concursum habet, nihil valet saltem ad efficiendum; nihil enim potest efficere etiam adjutum, quia posse efficere, sine concursu saltem partiali, nec mente concipi potest. Itaque mirum est quod hæc et similia dicta Anselmi in favorem illius sententiæ afferantur, et quod post longam eorum recitationem, magna confidentia concludatur tam esse perspicua ad retundendam nostram sententiam, ut nulla explicatione sed sola consideratione indigeant. Nam post diligentem, et diuturnam considerationem, nullum vestigium physiciæ prædeterminationis in Anselmo invenio, sed potius e converso plures sententias in quibus, post vocationem et excitantem gratiam, nunquam disjungit influxum liberi arbitrii ab influxu gratiæ, neque e converso, quod non stat cum determinatione physica, præsertim cum apud Anselmum in eodem libro de Concordia sit principium constans et verum, nullam suppositionem antecedentem determinare voluntatem ad unum, alioqui destrui libertatem.

Non est dissimile testimonium Bernardi in lib. de Gratia et liber. arbitrio, ex quo arguens integras tres transcribit columnas, in quibus nullum invenio verbum in quo modus ille efficacitatis gratiæ insinuari videatur; sed sola necessitas prævenientis et cooperan-

tis gratiæ, quæ communis est; imo, si attente considerentur ea quæ, a principio illius libri, de libero arbitrio docet Bernardus, plane intelligitur contrariam sententiam funditus everti. Distinguit enim triplicem libertatem, a peccato, a miseria, et necessitate; et hanc ultimam ait esse retinendam in libero arbitrio, non obstante gratia; sentit autem ibidem hanc libertatem destrui, et induci necessitatem, si aliquid voluntatem præmoveat, cui ipsa non possit resistere: *Est vero (dicit inter alia) ratio data voluntati, ut instruat, illam non destruat; destrueret autem, si necessitatem ei ullam imponeret, quominus libere pro arbitrio se voleret, sive in malum consentiens appetitui, aut nequam spiritui, ut sit animalis non percipiens, vel certe et persequens ea quæ sunt spiritus Dei, sive ad bonum gratiam sequens, et fiat spiritualis, quæ omnia judicans, ipsa a nemine judicetur.* In quibus verbis attente considerandum est ad libertatem requiri, ex sententia Bernardi, ut post totam propositionem per judicium rationis, ipsa voluntas prævio arbitrio sese volvat; quid est autem sese volvere, nisi ad hanc, vel illam partem se determinare? Item, quod hanc facultatem volendi se requirit, non solum quando voluntas sine gratia seu male operatur, sed etiam cum gratiam sequitur. Item quod infert etiam rationem ipsam destruere libertatem, si necessitatem inferat: nam si hoc est verum de motione rationis, quæ videtur maxime interna et accommodata, multo magis verum erit de quacumque motione magis extrinseca, et, ut sic dicam, sine sensu vitæ facta, qualis est omnis motio quæ sine actu vitali per solam passivam receptionem in voluntate fit. Ad explicandum autem quando ratio inferret voluntati necessitatem, subdit Bernardus: *Si (inquam) horum quodlibet, prohibente ratione, voluntas non posset, voluntas jam non esset, ubi quippe necessitas jam non voluntas;* quando ergo ratio per suum judicium omnino prævium ita voluntatem ad illam partem afferret, ut in alteram non posset, eo ipso necessitatem inferret. Ergo necessitas, ex sententia Bernardi, nihil aliud est quam motio, cui resisti non potest. Eadem ergo descriptio, idemque discursus applicatus ad motionem gratiæ probat induci necessitatem, si prævia motio ponatur, cui voluntas non possit resistere, ac proinde per talem motionem destrui voluntatem, ut libera est, non instrui, vel jvari.

Huic fundamento consentanea sunt cætera

quæ de concordia gratiæ cum libero arbitrio in toto discursu illius operis traditur, inter quæ sæpe ait liberum arbitrium per se sufficere ad volendum vel amandum, etc., non tamen ad bene volendum, vel amandum Deum sine gratia. Tamen hæc et similia illo uno verbo Bernardi declarantur, nam, cum dixisset salutis causam non in libero arbitrio, sed in sola Dei misericordia esse quærendam, pro ratione adjungit: *Cujus quippe* (id est liberi arbitrii), *conatus ad bonum et cassi sunt, si a gratia non adjuventur, et nulli, si non excitentur.* Non ergo excludit conatum liberi arbitrii ab ejus determinatione, quantumvis bona, sed ante illam dicit præcedere excitantem gratiam, et illam non fieri sine adjuvante; præter has vero nullam aliam gratiam requirit vel admittit; unde paulo inferius tractando illud 1 ad Cor. 3: *Coadjutores Dei sumus*, sic inquit: *Ibi Deus homini benigne merita constituit, ubi per ipsum, et cum ipso boni quidpiam operari dignanter instituit: hinc coadjutores Dei, etiam cooperatores Spiritus Sancti, promeritores regni nos esse præsumimus, quod per consensum utique voluntarium divinæ voluntati conjungimur*, et subjungit: *Quid igitur? Hoc totum liberi arbitrii opus, hoc solum ejus est meritum, quod consentit? Est prorsus.* Totus ergo consensus est opus liberi arbitrii; ergo et determinatio ad consensum; nam vel est ipsemet consensus, vel aliquid ejus, et maxime ad libertatem ejus pertinens, quia est effectio ejus. Dum autem dicit hoc totum esse opus liberi arbitrii, non excludit quin totum sit principaliter a gratia. Et ideo subjungit: *Non quidem, quod vel ipse consensus, in quo totum meritum consistit, ab ipso sit, cum nec cogitare, quod minus est quam consentire, aliquid a nobis quasi ex nobis sufficientes simus; et post multa concludit: Cavendum ergo, cum hæc invisibiliter intra nos, ac nobiscum actitari sentimus, aut nostræ voluntati attribuamus, quæ infirma est; aut Dei necessitati, quæ nulla est; sed soli gratiæ, qua plenus est. Ipsa liberum excitat arbitrium cum seminat cogitatum; sanat cum mutat affectum, roborat ut perducatur ad actum, servat ne sentiat defectum. Sic autem ista cum libero arbitrio operatur, ut tantum illud in primo præveniat, in cæteris comitetur. Ad hoc utique præveniens, ut jam sibi deinceps cooperetur; ita tamen, quod a sola gratia cæptum est, pariter ab utroque perficitur, ut mixtim, non sigillatim, simul, non vicissim, per singulos profectus operentur, non partim gratia, partim liberum arbitrium, sed totum*

*singula opere individuum peragunt. Totum quidem hoc, et totum illa, sed sicut totum in illo, sic totum ex illa.* Quo testimonio nullum vel luculentius vel evidentius ad nostram doctrinam declarandam excogitari potest. Nam ante omnia præbet initium soli gratiæ, illudque initium in gratia præveniente ponit, cujus munus esse dicit, animum hominis, scilicet intellectum et voluntatem, interius excitare. Deinde, in nullo alio ponit præventionem seu efficacitatem solius gratiæ, sed in cæteris omnibus effectibus ponit illam cooperantem et comitantem. Verum non agnoscit aliam efficacem motionem solius gratiæ, quasi mediam inter excitantem gratiam et cooperantem, id est posteriorem illa, et priorem ista. Denique optime declarat quomodo totum sit a gratia, quia nimirum nihil fit sine illa, et inchoante et perficiente, quanquam non sola ipsa efficiat totum, nisi quoad initium, nam quoad reliqua, inter quæ sine dubio est determinatio ad consensum, totum etiam est a libero arbitrio in suo genere.

Sed fortasse totum hoc testimonium Bernardi nobis objecit ille auctor propter illa verba ultima quæ ex illo refert. Nam agens de corona justitiæ, dicit voluisse Deum habere hominem illius promeritorem, quia dignatus est habere eum coadjutorem: *Porro* (inquit) *coadjutorem fecit, cum fecit volentem, hoc est suæ voluntati consentientem. Itaque voluntas in auxilium, auxilium reputatur in meritum; si ergo a Deo voluntas est, et meritum; nec dubium quin a Deo sit et velle et perficere pro bona voluntate. Deus igitur auctor est meriti, qui et voluntatem applicat operi, et opus explicat voluntati. Ecce* (inquit) *universa Deo Bernardus tribuit, etiam bonam voluntatem, et ejusdem applicationem.* Quis autem hoc negat, vel quid in his verbis dicit Bernardus quod prius non dixisset, et modum de quo est tota controversia, magis explicet? Facit enim Deus et volitionem bonam, et applicat voluntatem ad illam, vel excitando per prævenientem gratiam, vel vere ac physice efficiendo et operando; tamen priori modo operatur solus, posteriori autem modo non solus, sed cum ipsa voluntate, ut diserte etiam Bernardus declaravit. Ergo ex illa operatione vel applicatione non potest colligi physica prædeterminatio, quam solus Deus prius faciat ad applicandam voluntatem ad unum.

Sexto refertur Ansbertus, quod in capite

ultimo Apocalyps. dicat: *Præveniente gratia salvamur et justificamur; ipsa enim præcedit hominem, ut ei quo pergere debet iter ostendatur; ipsa etiam subsequitur, ut ad id quod ostendit, etiam impellat.* Totaque vis hujus testimonii ponitur in illo verbo, impellat, quia importat (ait) manifestam efficaciam auxilii prævenientis; sed interrogo an importet talem efficaciam cui liberum arbitrium non possit resistere, vel talem ut resistere possit. Prior exaggeratio et est contra vim et proprietatem verbi; non enim omnis qui impellere dicitur, eo ipso dicitur vincere et superare omnem resistantiam, seu potestatem resistendi; et est contra sanam doctrinam ac definitiones Conciliorum; et ideo sine causa imponeretur talis sensus illi auctori. Si autem sensus est de efficacia, qua non obstante, liberum arbitrium potest resistere, etiam ex suppositione illius, nemo est qui hanc efficientiam neget prævenienti gratiæ; tamen eo ipso talis non est ut physice prædeterminet voluntatem ad unum, quia si talis esset, non posset voluntas ei resistere; imo si impulsus ille gratiæ prævenientis talis est, ut ei possit voluntas resistere, profecto quatenus talis est, id est, quatenus antecederet impellit, non dum physice efficit actum illum ad quem impellit, sed solum præbet ipsum formalem impulsus, qui in aliqua inspiratione, affectu, aut pio desiderio vel timore consistit.

*Cabrera, 3 p., quæst. 13, disp. 2, § 4, n. 1.* — Ultimo alius arguens profert Abulensem, in capit. decimo nono Matth., quæstione centesima septuagesima quarta, ubi (ait ille), sequens doctrinam Aristotelis et omnium philosophorum, inquit Deum non solum influere in effectum, sed etiam in causam, præmovendo et determinando liberum arbitrium, tametsi servata illius libertate. Verum tamen nulla talia verba in illa quæstione Abulensis inveniuntur, et sunt alia multa in quibus nostram expresse docet sententiam. Nam in quæstione 174, vers. *Quod autem dicunt*, imprimis habet hæc verba: *Libertas arbitrii est quod possit se determinare ad quodcumque genus operis, et ad quemcumque modum.* Addit vero secundo non posse facere opus meritorium sine gratia, quæ est habitus facultatem naturæ excedens. Hoc vero declarans subjungit tertio: *Potest tamen liberum arbitrium ex seipso velle facere opus meritorium; quia sicut est in potestate ejus determinare se ad genera actuum et objectorum, ita potest se determinare ad modum actus, non*

*tamen potest facere liberum arbitrium, quod ille actus quem vellet esse meritorium sit meritorium, nisi habeat gratiam adjunctam, quia liberi arbitrii est determinare se ad rem, non tamen dare rei genus, seu modum essendi.* Quod late prosequitur et indigeret quidem majori explicatione; tamen, quod ad rem spectat, determinationem semper tribuit libero arbitrio, etiam in operibus gratiæ, quanquam non soli nec sine divino adjutorio operanti, ut statim ipse declarat dicens: *Cum dicitur liberum arbitrium per se aliquid posse, non excluditur adjutorium Dei, ut est causa universalis operans in nobis.* Atque eodem sensu subjungit in solutione ad primum: *Sine Deo gratis donante nihil possumus facere, cum ipse sit causa universalis et principium omnis boni, non solum in hominibus, sed etiam in omnibus creaturis.* Et in solutione ad tertium dicit, Deum non solum per gratiam nos adjuvare, sed etiam interius operando in ipsa voluntate, sicut in aliis rebus. Ubi agit de concursu ad volendum, qui sine dubio est intra voluntatem, quia ipsa volitio in voluntate est. Nunquam vero significat Abulensis illum concursum esse vel supponere motionem Dei in causam, seu voluntatem distinctam ab actione volendi, et priorem illa, multoque minus insinuat esse talem motionem, quæ sola sua vi voluntatem prædeterminet? Quin potius addit in quæstione centesima septuagesima quinta, quod, propositis duabus partibus contradictionis, Deus facit ut una earum eligatur: *Non* (inquit) *determinando liberum arbitrium ad hoc, et distrahendo ab illo; quia istud esset contra conditionem libertatis, et nihil relinqueretur libero arbitrio per quod esset liberum.* Postea vero declarat morale modum quo Deus inclinatur, et inducit voluntatem ad alteram partem.

## CAPUT XL.

QUID IN HAC CONTROVERSIA D. THOMAS DOCUERIT AUT SENSERIT.

Qui divo Thomæ attribuunt sententiam de gratia efficaci de se prædeterminante physice voluntatem, nulla proferunt formalia verba per quæ divus Thomas id docuerit, sed interdum id colligunt ex generalibus principiis male applicatis, vel ex aliis verbis suo iudicio æquivalentibus, cum revera talia non sint, sed possunt commode aliter exponi, imo et debent necessario, vel inspecta materia de